

Constituciones de los Clérigos Ministros de los Enfermos
(Archivo central del Cauca)

*Universis, & singulis Congregationis nostræ
Patribus, ac Fratribus*

Salutem in Domino sempiternam.

CUM majorum nostrorum, Nos inhærentes vestigiis
nihil antiquius, nihilque optatius haberemus, quàm
ut ea, quæ prudenti, ac maturo Vocalium Calculo, postre-
mis in Comitibus sancita erant, executioni demandari curare-
mus; idcirco eorundem Vocalium Consilio, Nos morem
gerentes, Supremum Romanæ Ecclesiæ Tribunal adivimus
ut ea, quæ non utiliter modò, sed etiàm necessariò in po-
stremo generali Confessu, definita, aut permutata sunt
Pontificia (ut statutum fuerat) firmarentur Authoritate
Pro universali itaque, quæ Nobis concedita est, Religi-
orum nostrorum sollicitudine, atque pro modulo nostro
muneri, quod gerimus, satisfacere exoptantes, omnes,
singulos in Christo Filios, certiores reddimus, illud Nos
adeptos esse, quod in Votis habuimus, dùm annuente
Santissimo Domino Nostro Divina Providentiâ Papa CLE-
MENTE XIII., ea, quæ sequuntur Decreta, nedùm Sac-
Congregationis Episcoporum, & Regularium, Calculo re-
borata, verùm etiàm Illm̃i, & Rm̃i Domini Ferdinan-
Mariæ de Rubeis, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Pro-
Vicarii Generalis adprobatione, firmata sunt; adeò,
cum tantæ hujus authoritatis robur accesserit, jam Decr-
ista, vim legis induere, ex Constitutione sanctæ memo-
Gregorii XIV., quæ incipit *Illius Gregis*, neminem
strum latere arbitremur. Unum igitur dumtaxat, sicut
optandum, ita & commendandum vobis esse cognoscim-
ut pro eâ, quâ donavit vos Deus Vocationis istius Gra-
unicè et vacantes, non declinetis ad dexteram, neque
sinistram, nec transgrediamini terminos istos, quos po-

unt Patres Vestri: sunt enim lucerna pedibus vestris, ac
rectum semitis vestris lumen: Quorum sanctissimis Legibus,
institutisque, alacriter, religiosèque, prout par est, obtem-
perantes, ac Domini talenta vobis commissa fidelitèr ad-
ministrantes, cum aequissimus ille bonorum operum Retri-
butor, positurus rationem, revertetur, maxima animorum
estrorum lætitia, vocem illam dulcem auribus vestris re-
sonantem audietis = *Euge serve bone, & fidelis, quia su-
per pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra
gaudium Domini tui* = Id quod, ut feliciter vobis con-
gruat, quemadmodum vestram Vos operam, studiumque
Constitutionum nostrarum observantià collocare debetis,
a Nos, Authore Deo, Officio Nostro minimè defuturos
esse, speramus: Atque interèa Paternam Vobis Benedictio-
nem amantissimè impartimur, Vosque, ut in precibus, ac
sacrificiis vestris Nostri memores sitis, etià, atque etià
osecramus. Valete.

Johannes Gentili Præfectus Generalis.

Emi,

Emi, e Rmi Signori.

IL Generale de' Cherici Regolari Ministri degl' Infermi umilissimo Oratore dell' EE. VV. espone, qualment l'ultimo suo Capitolo Generale celebrato qui in Roma nel prossimo passato Maggio, avendo provveduto a' bisogni dell' Ordine con alcuni Decreti, ordinò insieme, che per quelli che ne abbisognano si chiedesse dall' EE. VV. l'approvazione in forma specifica. Or sapendo l'Oratore quanto per questa approvazione cresceran di pregio i Decreti d'esso Capitolo Generale si dà l'onore di presentarli tutti all' EE. VV. umilmente supplicandole, che si degnino avvalorarli tutti con la loro sì autorevole Approvazione. Che della Grazia &c.

Segue il tenore degl' accennati Decreti.

DECRETA

Capituli Generalis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis celebrati Romæ mense Maii Anni 1758.

I.  NTIMATIO Capituli Generalis una cum assignatione Familiarum novem Mensibus ejusdem Capituli celebrationem præcedat: & Provinciales, ac Praefecti in intimandis Provincialibus, & Localibus Capitulis tum Vocalium, tum Domorum consueta commoditati teneantur.

II. Ante electionem Praefecti Generalis, quæ semper fiet 4. Maii, duæ habeantur Congregationes præparatoriæ, una die 1. & altera die 3. ejusdem Mensis. In prima præmissis præmittentur Actus Capitulum Provinciale, Litteræ testimoniales Electorum, Fides tandem satisfactionum Missarum diligenter examinetur, & Vocalium, quibus in Generali Capitulo ferendi votum competit fiat recognitio. In secunda Congregatione si aliquo tempore prædictam recognitionem Vocalium sit dubium, auditis utriusque Opinionibus per Calculos Secretos decidatur. Fiat d

Secretarii Capitularis electio, eaque peracta intimetur pro die sequenti Congregatio Generalis pro electione Præsidentis, Definitorium, ac Præfecti Generalis facienda ad tenorem nostrarum Constitutionum.

III. Capitulum Generale procedat contra Secretarios, qui in actibus Capitularibus Provinciarum aliquod ex iis omiserint, quæ illis Capitulis, aut facta, aut in scriptis, vel oretenus fuere propolita, etiãmsi ab ipsis Capitulis nec approbata fuerint, nec reprobata.

IV. Definitorium Generale Actus Capitulares Provinciarum examinet, an ritè facti sint, in quo casu eos approbet. Quod si in quo eos peccare deprehenderit, id exponet Generali Capitulo, ius erit ferre Sententiam.

V. Decreta cujusvis Capituli Provincialis (iis exceptis, quæ ipsius Capituli validitatem aliasque instantaneas provisiones persequuntur) antè Capituli Generalis approbationem nullius sint roboris, nullumque fortiantur effectum. Decreta huiusmodi alicubi tractasse jam facta, & à Generali Capitulo nondum approbata, irrideclarantur, & nulla ac si minimè facta fuissent. Teneatur idcirco Capitulum Generale in posterum singula uniuscujusque Capituli Provincialis Decreta examinare, & per suum Decretum vel probare, vel reprobare.

VI. Possint, & debeant Provinciales suum unusquisque Substitutum pro Capitulo Generali eligere illumque statim post Capituli Provincialis celebrationem secretò scribere in Notula bene clausa illo munita, & in Capsa communi Domus, in qua Capitulum Provinciale fuit celebratum, asservanda, reservata tamèn cuique Provinciali suam Notulam toties quoties repetendi, & immutandi facultate. Substitutus iste jus ferendi suffragium in Capitulo Generali solummodò habebit, quando eidem Capitulo ipse Provinciali iustis de causis interesse non poterit, & tunc durante Capituli tempore, tum honore loci, qui ipsi Provinciali competeret, tum Secretarii Provincialis titulo decorabitur.

VII. Non soli Superiores Locales, sed etiam Provinciales (seò tamèn, divisim, & absque reciproca intelligentia) notulas interum faciant omnium respectivè in Capitulo Generali præsentatas. Superiores Locales etiãmsi de Novitiis, & Oblatis, & Provinciales etiãmsi de Superioribus Localibus in suis Notulis bene clausis, & sigillo munitis dent relationem juxta formam, quæ à generali Consulta præscribetur. Has notulas solus P. Generalis inter electus aperire possit, easque legere teneatur, sed sub naturali sigillo, vi cuius ita opportunè, & prudenter providebit, ut ularum notitiarum numquam ad alios deveniant. Ad eandem relationem,

tionem, idemque sigillum tenebitur Generalis Successor, cui Prædecessor eas notulas consignabit.

VIII. Status Domorum in Capitulo Generali præsentandi fiant in posterum sequenti hac methodo. Primo loco describantur Redditi oneribus Missarum obnoxii. 2. Redditi pro alicujus pii, vel alterius generis Legati executione nobis relictæ. 3. Redditi decoræ Ecclesiæ manutentioni, sacris scilicet Utensilibus, Expositionibus, Festivitatibus, Sæcularibus Personis Ecclesiæ intervenientibus &c. jam destinati, & necessarii. 4. Redditi, quos nostra Domus, & loci recreationis pro ejusdem fabrica, seu reparatione, proque Sæcularibus loco recreationis prædicto, vel ipsi Domui intervenientibus, necesse est quotannis infumere. 5. Tandem totum id, quod pro nostrorum Patrum, & Fratrum, Victu, Vestitu, Medicinalibus, Epistolis, itineribus, aliisque, reliquum erit. Sic fient status nostrarum Domorum non Professarum.

IX. Cum nostra Domus Professæ (præter Domum, & Ecclesiam cum suis respectivè Utensilibus necnon locum recreationis) nihil jux. Bullas Gregor. XIV., & Clement. VIII. queant possidere nisi pro Valetudinariis, Novitiis, aut Collegiis legitimè destinantur, ideò Status quinque Nostrarum Domorum Professarum (nempe Domus S. Mariæ Magdalenæ de Urbe, S. Mariæ Portaceli Neapolis, S. Crucis Januæ, S. Nymphæ Panormi, & Mariæ Assumptæ Matriti) fiant modo infra scripto videlicet: Describantur omnia, quæ in primis quatuor Capitibus fuere adnotata pro aliis Domibus & quinto loco describantur omnes Eleemosinæ, quæ à Fidelibus quotannis pro Nostrarum Manutentione dabuntur. Quod si dictarum quinque Domorum Procuratores nomine Generalis Consultæ, apud quam omnium cujusque nostræ Domus Bonorum plenum residet Dominium, aliquod aliud exigent, illud fidelitè, & separatim in dictis statibus describatur, ut possit Generalis Consultæ pro suo arbitrio, jux. Bullas Summorum Pontificum, toties quoties de eo disponere, illudque aliis Religionis Domibus distribuere, vel ipsi Domui Professæ titulo Eleemosinæ pro necessitate donare. Præcipitur idcirco unicuique Superiori Locali, quod intra sex Menses ab hujus Decreti publicatione prædicta omnia, ordine jam notato, scribat in libro suo Successori consignando, ejusque fidelem copiam Consultæ Generali intra idem tempus transmittat.

X. P. Generalis epistolam aliquam ipsi à Nostris illis cum vocibus *Tibi soli* inscriptam accipiens teneatur ad Naturale sigillum, vi cuius ita opportunè, & prudenter providebit, ut Auctor Epistolæ (dummodò calumniosa, vel contumeliosa non sit) numquam deprehendatur.

XI. Omne debitum, quàmvis solvibile, si decem scuta argentea excedat, & Examinatoribus Novitiorum de more interrogantibus dolosè à Candidatis occultetur, est verè impedimentum illud, quod nostræ Constitutiones intra impedimenta Professionem irritantia septimo loco enumerant.

XII. Ut laudabilior sit Catus nostrorum Fratrum Laicorum, & ut cohærentius ad Bullas Summorum Pontificum nostrasque Constitutiones procedatur, non possit Consulta Generalis concedere, quod aliquis à primo Religionis ingressu ad biennium Novitiatu pro solemnè in statu laicali Professione admittatur, nisi illum Religioni valdè utilem cognoscat.

XIII. Oblatis, qui mechanicis, & servilibus Domus Ministeriis unicè applicandi recipiuntur, postquam in prædictis exercitiis fuerint in nostris Domibus per quatuor integros annos probati, possit Consulta Generalis concedere, quod in aliqua nostra Domo in qua saltèm duodecim degant Professi per biennium sub Magistro, ac si verè essent Novitii, morentur, ubi anno quolibet à duabus tertiliis partibus illius Capituli Localis per secreta suffragia admissi, & approbati, tria emittant Vota simplicia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, à quibus vel ob rationabilem ipsorum Oblatorum instantiam, vel ob ipsorum gravem defectum, de quo ter moniti non resipuerint, sola Consulta Generalis, cum Summaria informatione, & absque ullo formali processu possit eos absolvere, & absolutos è Religione dimittere.

XIV. Oblati Votis simplicibus obstricti, Oblatorum retento Habitu, & Nomine duabus nostris Crucibus insigniti procedant, & nonnisi post decennium à Votorum simplicium emissionem, possint a Consulta Generali præmissis præmittendis, servatisque servandis ad verum Novitiatum admitti, & in ejus biennio per consueta scrutinia probati solemnem pro statu Laicali Professionem emitte, & inter nostros Fratres Laicos adnumerari. Non possit Consulta Generalis aliter sese gerere cum Oblatis, qui posthac nostrum Habitum asument.

XV. Ad tenorem Decreti S. Congreg. Disciplina Regularis emanati 9. Novemb. 1709. confirmati 20. Februar. 1739. & iterum 15. Martii hujus anni 1758. Omnes pro statu Laicali in nostro Ordine admittendi, prius quoad Doctrinam Christianam præcipuè examinentur. 1. Quilibet Superior Localis, sive per se, sive per alium ex nostris Sacerdotibus semel ad minus in quavis hebdomada nostros Laicos omnes, tum Professos, tum non Professos Doctrinam doceat Christianam, Cathecismum, Regulas nostras, & ea maximè, quæ ad Votum pertinent Paupertatis. Possit Superior frequentius, etiàm quotidie, hoc facere, si ex sua Conscientia id expe-

expedire iudicabit; & tunc Laici prædicti, tum Professi tum non Professi teneantur docentem audire. 3. Visitatores eisdem Laicis quoad prænotata examinare teneantur, & illa ignorantes puniri necnon procedere, etiam pena suspensionis ab officio contra Superiores Locales, quos in nostris Laicis ut supra docendis negligenter invenient. 4. Tandem Epistola Sac. Congregationis supra citata in publica Mensa quotannis legatur.

XVI. Ut melius, & exactius nostra Constitutio parte 3. cap. num. 2. posita observetur, in quavis nostra Provincia (dummodo in ea alia studiorum Methodus rite approbata, & laudabiliter introducta non reperiatur) studium Philosophiæ per biennium circiter duret, Theologiæ verò non minus quam per quatuor completos annos, quo tempore unus ex Lectoribus Theologiam Canonico-Moralem, Alter Scholastico-Dogmaticam docebit. Quod unus aliquando ex rationabili causa erit Lector Theologiæ, tum idem ipse utramque docebit, nempe à festo omnium Sanctorum usque ad festum Inventionis S. Crucis Scholastico-Dogmaticam, reliquo anni tempore (quo Scholasticæ exercitationes non omittuntur) Canonico-Moralem.

XVII. Cum Sac. Theologiæ studium nostri Instituti exercitum valde sit necessarium præcipitur Præfectis tum Localibus, tum Provincialibus, quod præter eas à studiis vacationes, quas nostræ Constitutiones præscribunt, alias non nisi gravi urgente necessitate permittant. Enixè etiam commendatur Generali Consultæ, quod iuxta nostras Constitutiones, neminem ad sacros Ordines promoveri permittat, si primum saltem Theologiæ annum laudabiliter non compleverit: Neminem item à Theologiæ saltè Canonico-Moralis studio antè quatuor completos annos unquam removeri concedat.

XVIII. Studeat Consulta Generalis in aliqua Provincia, vel etiam in pluribus Novitiatum, & Collegium instituere, quod omnibus cujuscumque nostræ Provinciæ sive Novitiis, sive Studentibus præbeat semper, & pro huiusmodi Novitiatu, & Collegio eas decernat leges, quas bonis moribus, bonisque studiis aptiores iudicabit.

XIX. Exercitia spiritualia, quæ à nostris per dies octo annuolubet fieri solent, fiant posthac in comuni, modo, & tempore Superioribus bene viso; dummodò firmum semper sit, quod ne eo tempore Domo exeat, nisi occasione nostri Instituti quod nunquam erit omittendum, vel ob urgentem Domus necessitatem.

XX. Præfecti tum Locales, tum Provinciales, quousque Successor assumet Domus vel Provinciæ Gubernium, in eodem Superioritatis gradu, & exercitio perdurent, minimè obstantibus verbis illis: Usque ad quinto nonas Maii, quæ in Litteris patribus Superiorum adhiberi solent.

XXI. In morte Provincialis sit Vicarius Provincialis interenarius Praefectus primae Domus Provinciae quousque Generalis Constituta novum eliget Provinciale. Deficiente autem quacumque ex causa Vicario Provinciali, Capitulum Locale dictae primae Domus (Domus scilicet, quae in consuetis notis Superiorum primo loco describitur) congregatum prout in morte Praefecti Localis eligat in Vicarium Provinciale unum ex Vocalibus Provinciae, si decimum Professionis annum compleverit.

XXII. In morte Praefecti Localis, si Provincialis ab ea Domo longè absit, electio Superioris interenarii fiet prout in nostris Constitutionibus parte 5. cap. 6. num. 14. Si autem Provincialis ab ea Domo non longè absit, ab ipso intimetur locale Capitulum promotione interenarii Superioris. Quod si in ea Domo duo tantum sint illius Provinciae Vocales, tunc antiquior in Professione erit solo facto Superior interenarius.

XXIII. Praeter Epistolarum, itinerum pro Religione, & conventi Vestiarii expensas non liceat Superioribus Localibus aliquod aliud ex Bonis Domorum, vel sibi, vel aliis etiam Visitationibus, quacumque dignitate fulgentibus donare praetextu aliquo etiam extraordinarii laboris. Si aliquod aliud in aliqua ex nostris Domibus, aut Provinciis reperitur in hac materia introductum, ut abusus habeatur, nec in posterum executioni mandetur.

XXIV. Nefas sit Superioribus quacumque dignitate fulgentibus, necnon Examinatoribus & aliis quibuscumque, aliquod vel minimum sive gratuiti muneris, sive oblationis titulo accipere occasione Receptionis, seu Vestitionis Novitiorum, vel eorundem Professionis, aut Sacerdotii.

XXV. Consulta Generalis unicuique Provinciae det regulam pro expensis tum nostrarum Domorum, & Provinciarum pro ipsarum respectivis Superioribus, tum nostrorum Candidatorum, ac Religiosorum in circumstantiis Receptionis, Vestitionis, Professionis, & Sacerdotii ad mentem nostrarum Constitutionum.

XXVI. Superiores qui aliquem ex nostris ab una Domo, ob defectum in ea ab ipso commissum ad aliam mittent, teneantur id proponere Generali Consultae, cujus erit decernere an expensae eius itineris à Religione, vel ab ipso Religioso, & quomodo erunt vendae.

XXVII. Ut aliquis ex nostris prima relicta, alteri adscribatur Provinciae, Consulta Generalis, audito prius utroque Provinciali, tum prout in Domino judicabit, efficiat Decretum, illudque intimet ambobus Provincialibus, qui Decretum huiusmodi, & in suis respectivè Provinciis publicare, & in suis respectivè Archiviis aservare teneantur.

XXVIII. In nota Superiorum, quæ in nostris Domibus anno quolibet publicatur, describat Generalis Consulta Patres omnes, & Fratres, qui anno præcedente obierint: Et teneantur Superiores Locales utramque notam in suis respectivè Domibus publicare.

XXIX. In Domo, in qua noster Professus è vita decesserit, celebrentur pro ejus Anima Missæ quinquaginta, inclusis Missis pro nostrorum Agone, & Depositione Statutis. In reliquis verò nostri Ordinis Domibus ubicumque existentibus quilibet noster Sacerdos intra primam cujusque Mensis hebdomadam, semel pro nostris omnibus Defunctis Missam celebret: Et hoc onus Missarum perpetuarum Tabella describatur. Nostri autem non Sacerdotes singuli pro defuncto in eadem Domo (etiam Novitio, vel Oblato) præter ea quæ in nostrorum Agone, obitu, & Depositione præscripta sunt, recitent quinquies Coronam, vel tertiam Rosarii partem, aut unum ex Officii Defunctorum Nocturnis, & toties ad Eucharistiam cum applicatione Indulgentiarum accedant. Pro omnibus verò nostri Ordinis Defunctis semel in Mense Coronam recitent, aut Rosarii partem, aut Nocturnum Defunctorum ut supra, & semel cum applicatione Indulgentiarum Eucharistia se reficiant.

XXX. Ultra prædicta suffragia, in quacumque nostra Domo, habita notitia alicujus Nostri Defuncti, ejus nomen cum die, & loco Obitus in Refectorio publicetur, & per triduum in Sacristia affigatur, ut Sacerdotes in Missa, & non Sacerdotes in Communionem pro ejus Anima orent. Item, eo triduo currente, ter pro ejus Anima post consuetas Litanias recitetur in comuni Psalmus *Deprofundis &c.* cum Oratione *Absolve &c.* in qua Defuncti nomen enuncietur.

XXXI. Nostri in Regno Peruano morantes habeant Congregationem compositam ex P. Vicario Provinciali pro tempore, & quatuor aliis Vocalibus, nempe ex Præfecto Domus Sanctæ Mariæ bonæ Mortis, ex antiquiore Lectore Emerito vel in ejus defectu ex antiquiore Lectore actuali, & ex aliis duobus Vocalibus ejusdem prædictæ Domus, qui primo per schedulas, deinde per secreta Suffragia ab omnibus Vocalibus Limæ existentibus toties eligentur, quoties novus Præfectus gubernium Domus S. Mariæ bonæ Mortis assumet. Hujusmodi Congregatio à Vicario Provinciali pro necessitatibus convocanda, nullam habeat jurisdictionem, nullumque dominium, sed in iis tantum Casibus, in quibus ex vi nostrarum Legum ad Generalem Consultam recurrendum esset, possit providere, quin tamèn possit Superiores, Visitatores, aut Commissarios eligere, Vocales creare, vel quidquam aliud facere, quod Generalis Consulta sibi pro tempore reservabit.

In di-

XXXII. In dicta Congregatione Peruana Negotium omne decidatur secretis Calculis, quorum nonnisi unus, & Praeses, nempe Vicarius Provincialis, & quilibet ex quatuor Vocalibus ferret. Decreta hoc modo facta in libro ad hoc specialiter destinato scribantur à Secretario, nempe à quatuor Vocalium Juniore, & Generali Consultae, cujus erit ea approbare, vel reprobare, quotocius in forma authentica transmittantur. Quod si aliquando id omittetur, tunc eo ipso facultas omnis in vim hujus decreti concessa intelligatur revocata, & nulla de facto sit perinde ac nunquam concessa fuisset.

XXXIII. Cum primus, & verus nostri Ordinis decor sit in omnium Regularum, & Constitutionum nostrarum exacta Observantia; hæc omnibus, & singulis, & præcipue Superioribus (quocumque abusu ex humana fragilitate introducto minimè obstante) enixe commendatur, & intimatur. Maximè verò constans, & fervens nostri Instituti exercitium prout complectitur non modo assistentiam Morientibus, & in privatis Domibus, & in publicis Carceribus diu noctuque præstandam: sed etiam Nosocomiorum Visitationes, quæ a nostris ubique, (dummodò Nosocomiorum Rectores positivè non contradicant) pro viribus, attento videlicet, & Sacerdotum in nostris Domibus, & Morientium in publicis Carceribus, & in privatis Domibus numero, omninò fieri debent, easque omnino fieri mandamus.

XXXIV. Visitationes Morientium, de quibus in nostris Constitutionibus parte 1. cap. 6. num. 8. dicitur. *Præter duas Visitationes nemo eodem die alias sustinere teneatur*, illæ sunt, quæ ex Superioris expressa designatione, & obedientia non ex proprio arbitrio, fient, & quæ etiam non per quodlibet breve tempus, sed jux. easdem Constitutiones num. 3. ejusdem Capituli, per sex horas hyberno, & per quatuor æstivo tempore protrahentur.

XXXV. Sciens tandem Capitulum Generale, quod jus suum condendi novas Leges in Religione, quamvis longè sit majus illo, quod habet Generalis Consulta, (de hujus enim Legibus statuit Gregorius XIV., quod *experiendo primum, atque utendo expendantur, & deinde à Capitulo Generali, prout expedire videbitur, admittantur*) nihilominus ad ea non se extendit, quæ Sacris Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, nostrisque regularibus institutis contrariantur; Ideo declarat, & protestatur, quod ea ex suis Decretis, quæ nostris Regularibus Institutis jam à sancta Sede approbatis, vel etiam fortasse sacris Canonibus, aut Concilii Tridentini Decretis, aliquo modo contrariantur, non sunt nisi mera supplicationes porrigendæ sanctæ Sedi pro eorundem approbatione; qua obtenta, & non aliter, intendit, & vult ea, vim legis habere

FERDINANDUS MARIA DE RUBEIS Patriarcha
Constantinopolitanus SS^mi Domini Nostri Papæ
Pro-Vicarius Generalis.

AD instantiam Nobis factam per Reverendissimum Patrem
Generalem Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium In-
firmis: Nec non vigore Constitutionis san. me. Gregorii XIV.
confirmatoriæ ejusdem Ordinis impressæ in Bullario tom. 2. in
ordine 17., in qua facultas illi tribuitur alias de novo con-
dendi Regulas, & Constitutiones, quæ ab Urbis Vicario ad-
probata, censeantur Apostolica authoritate confirmata, & ad-
probata, ac etiam de novo concessa: Prasentes Constitutiones
predictorum Patrum Clericorum Regularium Ministrantium
Infirmis in eorum ultimo antecedente Capitulo Generali editas,
& adprobatas postmodum à Sacra Congregatione super negociis
Episcoporum, & Regularium, ut ex ipsius contrascripto De-
creto edito die 26. Januarii hujus anni 1759. in forma speci-
fica adprobamus vigore facultatum in Chirographo Manu San-
ctissimi signato sub die 15. Januarii currentis anni Nobis di-
recto, & in omni, & quacumque suarum parte confirmamus,
illasque ab omnibus, & singulis Religiosis ejusdem Ordinis
servari volumus, & mandamus Apostolica ut supra autori-
tate. Non obstantibus &c. In quorum &c. Datum ex Ædi-
bus nostris hac die prima Martii 1759.

F. M. Patriar. Constantinop. Vicefg.

Loco ✠ Sigilli.